

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Nilus Mysticus Profluens Ex Paradiso Voluptatis, Sive Doctrinae Ad Mentem Scoti Theologicae, Ac Per Duodecim Alveos Regios In Flumen Magnum Serenissimae Marchionum Badensium Genealogiae Sese ...

Stümmel, Friedrich


Fulda, 1673

Navarrae

[urn:nbn:de:bsz:31-11315](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-11315)

*Serenissimæ Domus Badensis origo ex
Antiquissimis Regibus*

NAVARRÆ.



ENNICUS

COgnomento Arista, Comes Bigorrensis, ex Gothica Gente oriundus; deletis in
Tarraconensi Hispaniâ Maurorum copijs; Primus Navarræ Regem se appel-
lavit. Mortuus Anno 860.

Garfias I. Rex Navarræ,

Ennici filius, occubuit Anno 891. Uxor Urraca Comitissa Castellæ.

Sanctius I. Rex Navarræ,

Garfiæ I. filius, occisus Anno 927. Uxor Theoda.

Garfias II. Rex Navarræ,

Sanctij I. filius, obiit Anno 962. Uxor Constantia Nobilis Asturia.

Sanctius II. cognomento Major, Navarræ,

Garfiæ II. Filius decessit Anno 1018. Uxor Eluira Comitissa Castellæ.

Garfias III. Rex Navarræ,

Sanctij II. filius, occubuit anno 1069. Uxor incomperta.

Sanctius III. Rex Navarræ,

Garfiæ III. filius, occisus VII. Principatus anno.

Ranimirus Rex Navarræ,

Sanctij III. Filius, Uxor Eluira Comitissa Castellana.

Garfias IV. Rex Navarræ,

Ranimiri filius, obiit Anno 1151. Uxor Margelina Comitissa Perticarum.

San-

Sanctius IV. Rex Navarrae,
 Garfia IV. Filius, decessit Anno 1159. Uxor Beatrix Alphonfi VII. Legionis Regis Filia.
 Blanca Regina & Hæres Navarrae,
 Sanctij IV. Regis filia, nupta Theobaldo Comiti Campaniæ & Briæ.
 Theobaldus Posthumus, Rex Navarrae,
 Blanca & Theobaldi filius, obiit Anno Christi 1254. Uxor Margaritha Ducissa Borbonia.
 Margàrita Regia Princeps Navarrae,
 Theobaldi Regis Filia, nupta Friderico Calvo Duci Lotharingiæ.
 Theobaldus Dux Lotharingiæ,
 Friderici Calvi filius, obiit Anno 1311. Uxor Catharina Comitissa Flandriæ.
 Fridericus Athleta, Dux Lotharingiæ,
 Theobaldi Filius, decessit Anno 1325. Uxor Elisabetha Alberti I. Imperatoris Austriaci filia.
 Rudolphus Dux Lotharingiæ,
 Friderici Athletæ Filius, occubuit Anno 1346. Uxor Maria Comitissa Blefensis.
 Ioannes Dux Lotharingiæ,
 Rudolphi Filius, decessit Anno 1382. Uxor Sophia Comitissa Wirtenbergiæ.
 Carolus Audax Dux Lotharingiæ,
 Joannis Filius, obiit Anno 1430. Uxor Margarita Ruperti Romanorum Imperatoris Filia.
 Catharina Ducissa Lotharingiæ,
 nupta Jacobo Marchioni Badensi, Anno 1418.
 Carolus Bellator, Marchio Badensis,
 Jacobi filius, obiit Anno 1475. Uxor Catharina Ernesti Ferrei Archi - Ducis Austriæ filia.
 Christophorus Marchio Badensis,
 Caroli Bellatoris filius, decessit Anno 1527. Uxor Ottilia Comitissa Cattimeliboci.
 Ernestus Badensis in Pfortzheim,
 Christophori filius, obiit Anno 1553. Uxor Elisabetha Marchionissa Brandenburgica.
 Carolus Marchio Durlacensis,
 Ernesti in Pfortzheim filius, obiit Anno 1577. Uxor Anna Comitissa Palatina in Lautereck.
 Georgius Fridericus Marchio Durlacensis,
 Caroli Filius, decessit Anno 1638. Uxor Juliana Ursula Friderici Rheingravij filia.
 Fridericus Marchio Durlacensis,
 Georgij Friderici filius, obiit Anno 1659. Uxor Eleonora Alberti Othonis Comitis Solmen-
 sis in Laubach filia.

BERNARDUS GUSTAVUS

S. R. Ecclesiæ Cardinalis, S. R. Imperij Princeps, Inclytæ Ecclesiæ Fuldenfis
 ABBAS, Augustæ Romanorum Imperatricis Archi - Cancellarius, per Germaniam
 & Galliam Primas &c. Marchio Badensis & Hochbergensis in Durlach &c. Ecclesiæ
 Ducalis Campidonensis Administrator, & Coadjutor liberæ seu immediatæ Abba-
 tiæ & Eccl. Syburgenfis, Landgravius in Saufenberg, Comes in Sponheim, & Eber-
 stein, Dominus in Röteln, Badenweiler, Lahr & Malberg, Metropolitanæ & Cathe-
 dralis Eccles. Coloniensis & Argentinensis respectivè Canonicus & Capitularis, &c.

G

Sere-

SERENISSIMA DOMUS BADENSIS ANTIQUISSIMIS NA-
*varra Regibus Sanguine conjuncta symbolicè uno obtutu & reserat quatuor Cardi-
 nales virtutes, & tres Theologicas quatuor illis socias, ac consequenter in illis ho-*
minem exhibet secundùm cor Dei perfectum.

Virtutes Cardinales sunt *Prudentia, Justitia, Temperantia, Fortitudo*, quatuor quasi amnes Virtutum, quibus alluitur Paradisus: Istæ percipi nequeunt ab homine perfectionis lumine orbatò; huic itaq; Serenissima Dom⁹ Badensis quaquaversum paxillos porrigit ad ductum viæ, & vitæ perfectæ, quemcunq; apprehenderit, symbolicè omnium virtutum habitus, qui ad septenarium numerum revocantur, inveniet, utpotè in quovis paxillo gemmas seu mala citria tria majora, quibus *Theologicas*, quatuor minora, quibus *Cardinales* intellige virtutes, tria illa majora ubique complectuntur minora, ea nimirum est eorum societas in viâ, ut ne in patria quidem omnes à sese recedant, continent in se septem dona Spiritus S. octo Beatitudines &c. Est autem 1. *Prudentia* virtus intellectus, quâ in quovis negotio novimus, quid honestum, quid turpe sit; *Justitia*, quæ ordinat hominem ad alterum, ut ei jus suum tribuat; *Temperantia*, quæ ordinat hominem ad se, quoad appetitum delectabilem, habens pro subjecto concupiscibilem; *Fortitudo*, quæ ordinat hominem ad se, quoad repullam & victoriam terribilium, habens pro subjecto irascibilem appetitum. 2. Per se non infunduntur, absolute infundi non implicat. 3. Harum auriga *Prudentia*, tria munia præstat; scilicet: benè consultare, benè judicare, & præcipere executionem. Dividitur in *Oeconomicam*, *nomotheticam*, *civilem* & *militarem*. 4. partes habet potentiales: *eubuntiam*, qui præbet facilitatem rectè consultandi; *Synesis*, qui est habitus de consultatis secundùm principia practica rectè judicandi. *Gnomen*, qui est habitus ex principiis quibusdam altioribus contra tenorem verborum legis, juxta tamen mentem legislatoris judicativus. 4. *Prudentiæ* per defectum opponitur *Præcipitatio*, *Inconsideratio*, *Inconstantia*, *Negligentia*. 5. Per excessum; *Prudentia* carnis, astutia, dolus, sollicitudo temporalium &c. 6. *Fortitudo* moderatur animi affectiones in rebus terribilibus. 7. Vicia illi opposita sunt: *Timiditas* seu ignavia, *Intimiditas*, *audacia*. 8. Officium fortitudinis in duobus situm; in aggrediendo, & sustinendo; illud fit *promptitudine* animi ad periculum suscipiendum, fiducia illud superandi, strenuitate exequendi, quod fortiter cæptum: alterum fit *patientia*, quæ tristitias & dolores moderatur, & perseverantiâ, quæ cavet, ne animus diuturnitate malorum fatiscat. 9. Huc spectant *Magnanimitas*, *Securitas*, quæ est perfecta quædam fidentia, timorem excludens, & *Constantia*. 10. *Magnanimitati* opponitur per excessum, *Presumptio*, *Ambitio* & *Cenodoxia* seu vanæ gloriæ cupiditas. 11. *Vana gloria*, quæ est vel de simulata excellentia, aut de rebus alias indignis, ut opibus, vel frivolis, ut de homicidio, duello &c: aut apud eos, qui de rebus non possunt judicare, est peccatum mortale, & capitale vitium, ex quo nascuntur septem filia; *Inobedientia*, *jaclantia*, *Hypocrisis*, *Contentiones*, *Pertinacia*, *Discordia*, novitatum *Præsumptiones*. 12. *Temperantia* moderatur affectiones gustus & tactus. 13. Vicia illi opposita, *Intemperantia* & *Stupor*. 14. Partes illius integrantes sunt *Verecundia*, *Honestas*, 15. Subjectivæ: *Abstinencia*, *Sobrietas*, *Castitas* & *Pudicitia*. *Abstinencia* moderatur cupiditatem quo ad cibum; *Sobrietas* quo ad potum; *Castitas* delectationes carnis, etiam licitas, *Pudicitia* oscula, tactus, &c. verat. 16. Potentiales: *Continentia*, *Humilitas*, *Mansuetudo*, *Clementia* & *Modestia*, 17. *Ebrietas*, seclusâ alterius præcepti transgressione ex genere suo peccatum mortale est, adco ex se malum, ut ne quidem metus mortis ab extrinseco inferendæ malitiam abstergere queat, quam tamen absterget, si ab intrinseco proveniat. 18. Ad perfectam ebrietatem nullatenus requiritur privatio usus rationis. 19. Omnia Ecclesiæ jejunia, etiam quadragesimæ, jure humano sunt instituta, eoque jure solo obligant. 20. Fueritne Virginitas melior conjugio in statu innocentia merito dubitatur. 21. Sponsi futuram copulam matrimonialem licitè desiderant, vidui præteritam approbant. 22. Neutri de alterutra licitè velut de præsentis in præsentis gaudent. 23. *Luxuria* ex genere suo mortale & capitale est vitium, cujus filia sunt *cæcitas* mentis, *Præcipitatio*, *Inconsideratio*, *Inconstantia*, quæ pertinent ad intellectum, *amor sui* secundùm SCOTUM & *odium DEI*, affectus præsentis sæculi, & *horror futuri*, quæ spectant ad voluntatem: Filia externæ sunt *Turpiloquium*, *Scurrilitas ludicra*, *Stultiloquia* & similia ex abundantia cordis egredientia. 24. Species luxuriæ: *Fornicatio*, *Adulterium*, *Incestus*, *Stuprum*, *Raptus*, Vitium contra naturam, *mollities*, &c. 25. *Justitia* respicit debitum, cujus violatio constituit inæqualitatem restitutione reparandam. 26. Non inclinatur ad actum non debitum. 27. Usus facti in rebus unico actu consumptibilibus realiter distingui à Dominio, verbaliter & exemplariter docuerunt Christus & Apostoli. 28. Vitæ nostræ Dominus est DEUS, homo Custos. 29. Injustitia est speciale vitium intendens læsionem juris alterius. 30. Quod jus per illam non aufertur. 31. Repugnat, volenti fieri injuriam. 32. Restitutio est actus commutativæ. 33. à Satisfactione tam generali, quam speciali differens. 34. Est ad salutem necessaria, quando facultas suppetit, necessitate præcepti. 35. Non Medii. 36. Ne quidem propositum illius formale, sed sufficit contineri virtualiter in voluntate de cætero non amplius peccandi. 37. Præceptum restitutionis est negativum. 38. Obligatio restituendi radicitur vel in re aliena accepta, vel injusta acceptione. 39. Seclusâ lege, si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, nulla est ex natura rei obligatio ad compensationem damni à tua bestia illati. 40. Sicut neque posita lege ante Sententiam Judicis. 41. Idem est de eo, qui tenetur ex quasi delicto per legem, de his qui effuderint. 42. Non dant Juristæ sufficiens discrimen, cur Judex malè per imperitiam judicans teneatur ex quasi delicto, Medicus econtrâ per *Aquiliam* ex delicto simpliciter. 43. De noxalibus actionibus seu delicto servi nemo tenetur ante sententiam Judicis. 44. *Lex Aquilia* non obligat in foro conscientia, quando datum est damnum ob culpam levem vel levissimam. 45. Ipso Jure, quo noscis intervenisse culpam Theologicam, non expectatâ sententiâ condemnatoriâ obligatio stat ad compensationem damni secundùm Arithmeticam æqualitatem, non ultra. 46. Occulta compensatio licita est illi, qui per sententiam Judicis, ejusque executionem ad solvendum est adactus. &c.

Serenif-